



LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

Allocutio¹ ad adolescentes de percipiendis² disciplinis³ litterariis.³

Soleo saepe cogitare, quid causae esse possit, quod cum bene multi adolescentes ingenio et memoria praeter ceteros valeant,⁴ et naturali quodam instinctu⁵ trahantur ad cognitionis et scientiae cupiditatem: tam pauci tamen eorum in bonis⁶ artibus⁶ excellentes evadere soleant. Ac mihi quidem hoc animo volventi,⁷ cum permultae huiusce mali causae, tum haec praecipua⁸ esse videtur: quod *laborem* et eam, sine qua nihil laude digni assequi⁹ quisquam potest, *diligentiam* plerique refugiunt, et ea solum a pueritia percipiunt,¹⁰ quae praceptorum¹¹ ope, sine studio suo, sine industria, sine labore percipere possunt. Postquam vero e pueris excesserunt,¹² nec amplius illis praceptorum cura adest, liberius¹³ vivendi¹³ potestatem¹³ nacti, litterarum studia aspernantur et reiiciunt, tantumque abest, ut eam, quam primis vitae annis sibi compararunt, cognitionem augere contendant, ut etiam, quae prius summa cum praceptorum assiduitate¹⁴ didicerant, oblivioni penitus¹⁵ tradant, coecaque animi cupiditate exagitati¹⁶ non

honorem, non dignitatem, non denique gloriam, sed tantum ludos¹⁷ gymnasticos¹⁷ iocosque consequentur. Quam adolescentum remissionem,¹⁸ cum non privatis solum rebus, sed et publicis¹⁹ saepe maxima vide rem adferre²⁰ detimenta,²⁰ statui²¹ adolescentibus ostendere rationem, qua facile possint ad scientiarum cognitionem pervenire.

Necesse est, ut adolescentes quemvis omnino²² laborem aequo animo suscipiant. Primus est ad omnem dignitatem gradus, si quis amore virtutis incendatur;²³ quod apertissime²⁴ declarat in bucolico²⁵ suo carmine poëtarum princeps Vergilius: *Omnia, inquit, vincit amor.* Cui consentit²⁶ Orator²⁷ Romanus²⁷ ad Brütum scribens: *Magnum, inquit, opus et arduum²⁸ con amur, sed nihil difficile amanti puto.* Et

¹ intelem, budzítás ² foglalkozik ³ tudomány ⁴ kítünik ⁵ ösztönzés ⁶ szépművészletek, tanulmányok ⁷ gondolkozik ⁸ fő ⁹ elér ¹⁰ megtanul, elfogad ¹¹ tanító, tanár ¹² fölserdül ¹³ szabadabb életlehetőség ¹⁴ állandó felügyelet, oktatás ¹⁵ teljesen ¹⁶ ösztönöz ¹⁷ sport ¹⁸ nemtörökés ¹⁹ köz ²⁰ kárt okoz ²¹ elhatároz ²² egészen, teljesen ²³ lelkesselésre gyűl ²⁴ fényesen ²⁵ idillikus ²⁶ egyetért ²⁷ sc. Cicero ²⁸ merész.

Per.
Lat
020



merito; nihil enim tam alte positum est a natura, nihil tam arduum atque eminens, quo studium et amor eniti²⁹ non possit. Hoc nixus gentis³⁰ nostrae³⁰ adversus Turcorum³¹ rabiem³² tutela.³⁰ Hunyadius, omni memoria clarissimus heros³³ Ottomannorum³⁴ copias decuplo³⁵ suis maiores plus vice³⁶ simplici in fugam vertit. Hoc ductus Demosthenes Graecorum oratorum princeps impedimenta naturae superavit. Cumque, ut de eo Cicero commemorat, ita balbus³⁷ esset, ut eius ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere: studio et amore errorem tollendi perfecit, ut nemo planius³⁸ eo loqueretur.

O summam³⁹ divinae³⁹ mentis³⁹ providentiam,³⁹ quae nobis hunc tam efficacem⁴⁰ indidit amorem, quo duce nihil est, quod assequi non possimus! Hunc igitur amorem et vos, adolescentes, colite, hunc studiose quaerite, hunc amplectimini,⁴¹ hunc semel apprehensem nunquam postea dimittite; hic enim solus vos in rebus agendis cautos⁴² et prudentes, in arduis nego-

tiis fortes atque magnanimos efficiet; amore denique duce nihil erit, quod non facile scientia comprehendatis.

Verum sciendum vobis est, viam, qua ad eruditionem⁴³ pervenitur, asperam esse plenamque difficultatum, magno animi robore⁴⁴ opus esse, ut eam prosequi possitis; saepe omittendi sunt ludi, ioci, convivia.⁴⁵ Deus enim, ut excelsos animos ab abiectis⁴⁶ et industrios⁴⁷ ab ignavis discerneret, naturali, quo trahimur ad cognitionem, amori quasi comitem⁴⁸ adiunxit labore. Nunc autem cum nemo dulcissimos litterarum fructus percipere possit, nisi prius scientiarum radices, quas veteres sapientiae magistri non immerito⁴⁹ amaras⁵⁰ dixere, degustaverit:⁵¹ facile generosus adolescentis animus, quem nulla difficultas deterrere,⁵² nulla vis in proposito⁵³ cursu

²⁹ törekszik ³⁰ nemzetünk oltalmazója ³¹ török
³² düh, vadság ³³ hős ³⁴ ozmán, török ³⁵ tízszeres
³⁶ jó egynéhályoszor ³⁷ hebegő ³⁸ tisztabban ³⁹ legföbb isteni gondviselés ⁴⁰ hathatós ⁴¹ főkárol ⁴² óvatos
⁴³ műveltség ⁴⁴ erő ⁴⁵ vendégség ⁴⁶ alacsonyrendű
⁴⁷ szorgalmas ⁴⁸ társ ⁴⁹ érdemtelenül ⁵⁰ keserű
⁵¹ megizlel ⁵² elijesz ⁵³ szándékozott, terybe vett.



Porcarius¹ et lupi.

Puer porcarius in vastitate silvae² vivebat. Aliquando cum in casa coqueret, ingens lupus advenit et per ostium sic porcarium alloquitur:³

— Mitte me intro,⁴ porcarie; foris⁵ perfrigida tempestas est, algeo.

— Ego pol⁶ non te intromitto, quia me comedes.

— Sine me saltem unum de posterioribus pedibus iniicere.

Porcarius pedem lupi intromisit; sed interim ollam⁷ aquae plenam ad ignem apposuit.

Paulo post lupus:

— Intromitte, porcarie — inquit — alterum quoque pedem meum.

Porcarius alterum quoque pedem eius intromisit. Lupus tamen, qui hoc non satis habebat,⁸ paulo post:

— Intromitte, porcarie — inquit — etiam pedes priores.

Porcarius priores quoque pedes lupi intromisit. Sed lupus ne hoc quidem satis habuit.

— Mitte me, porcarie — inquit — totum intro. Ne digito quidem te tangam.

Tum porcarius ad foramen apposuit sacum,⁹ in quem lupus retrorsum veniens directo irrepit. Quod ubi porcarius vidit, repente luram sacci¹⁰ praeligat, ollam aquae fervidae plenam igni deripit eaque lupum perfundit, deinde celeriter in altam arborem connititur.¹¹

Lupus aliquamdiu rudivit,¹² propterea quod aqua fervida pilos¹³ eius evellerat. Deinde tam diu se iactavit,¹⁴ dum lura sacci dissoluta est. Lupus elapsus directo currit

¹ kanász ² rengeteg erdő ³ megszólít ⁴ beereszt
⁵ kint ⁶ bizony ⁷ fazék ⁸ megelégszik ⁹ zsák ¹⁰ a
¹¹ felszál ¹² ordít ¹³ ször ¹⁴ hánkykolódik.

debilitare⁵⁴ potest, emicat et splendet praeter ceteros; cum interim alter, stupore⁵⁵ quodam inertiae pressus quovis modico labore frangatur. Seneca haec dicit: *Nihil est, quod non expugnet⁵⁶ pertinax opera⁵⁷ et intenta ac diligens cura.*

Sed quid pluribus opus est testimoniis? cum pleni sint omnes scriptorum libri, testantium⁵⁸, rem tam necessariam esse laborem, ut sine eo nihil omnino laudabile possit acquiri.⁵⁹

(Vác.)

Adalbertus Mihálkó.

⁵⁴ gyöngít ⁵⁵ zavar ⁵⁶ kivív ⁵⁷ munka ⁵⁸ tanús-kodik ⁵⁹ szerez.

EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

C. Cilnius Maecenas Augusto Caesari familiarissimus erat. Ius aliquando dicebat Augustus, ut multos homines mortis damnaret. Aderat tum Maecenas, qui per turbam perrumpere et ad tribunal proprius accedere conatus est. Quod cum frustra temptasset, haec verba in tabella scripsit: «Surge tandem, carnifex!» eamque tabellam ad Augu-

auxilium petiturus. Mox cum decem lupis rediit. Porcarium quaerere coeperunt.

Tandem unus e lüpis eum in summa arbore conspexit. Sub arborem eunt et deliberrant,¹⁵ quid faciant quoque modo, cum nullus in arborem conniti posset, porcarium apprehendant. Multo post decernunt, ut alius in alterius tergo insistant: ita porcarium a supremo lupo pedibus prioribus contingi¹⁶ posse. Alius in alterius tergum enituntur; calvus lupus manet imus.

Iam ultimus quoque sursum eniti coepérat, cum porcarius subito exclamavit:

— Aquam fervidam calvo!¹⁷ Aquam fervidam calvo!

Calvus timore perterritus sub ceteris exsilit, lupi omnes fractis cervicibus pedibusque praecepitant.¹⁸ Calvus ita aufugit, ut nemo amplius eum viderit. Porcarius descendit de arbore et domum rediit. Lupi nunquam amplius prope ad casam eius venire audebant.

V. Fehér.

¹⁵ tanakodik ¹⁶ elér ¹⁷ kopasz ¹⁸ lezuhán.

stum proiecit. Augustus eā lectā statim surrexit et hominibus veniam dedit. *Dio Cassius.*

*

Alexander Magnus cum orientem vicisset, Corinthii per legatos gratulati sunt eumque civitate sua donaverunt. Cum Alexander hoc genus officii risisset, unus ex legatis: «Nemini — inquit civitatem unquam dedimus, nisi tibi et Herculi.» Alexander libenti animo accepit delatum honorem et cogitavit, non qui sibi civitatem, sed cui dedissent. *Seneca.*

Quomodo Christiani veterrimi in imperio Romano vixerint? (1)

Thomas Rados dr. O. S. B.

Christiani quomodo officiis bonorum ci-vium praecclare fungi debeant, mandatum quoddam Jesu Christi praescribit: *Reddite, quae sunt Caesaris Caesaris, et quae sunt Dei Deo.* Et sane —, Christiani veterrimi ex-actoribus¹ tributa, vectigalia semper cum fide pendeant, immo Deo pro Caesare supplicabant. Sed tunc cur vexabantur primis saeculis tam saepissime, tam crudeliter? Romani enim ceterum usus sacrorum gentium, quae cultu deorum differebant, ab illis perdomitarum semper aequo animo ferebant. Ita e. g. Judaei, ut diis sacrificarent, nunquam sunt coacti. Religionem istarum gentium Romani pro religione pro-pria naturaque eis insita² habebant. Donec igitur religio Christiana secta quaedam nova Iudaica putabatur, tranquille se extendere potuit. Qui error postquam manifestus factus erat, — ad quod etiam Judaei Romanos edocentes atque de fama Christianorum detrahentes multum attulerant, — maxima rerum commutatio facta est. Religio scilicet Christiana non fuit alicuius gentis a Romanis devictae propria — originem suam e caelo duxit —, quae animos hominum et honestiorum et humiliorum iam ab initio sibi conciliavit.³ Sic igitur religio Christiana «nova», ideo etiam «illicita»⁴ facta est. Atqui talem fidem sequentes lege Romana, si honestiores fuerunt, deportabantur, si hu-miliores, cruci affigebantur.


Ergo conflictus inter Christianos et paganos nullo modo evitari potuit, cum impe-rium Romanum, quod Dei esset, a Christianis

¹ pénzbeszedő ² heolt ³ megnyer ⁴ tilos, meg nem engedett.

petivisset. Nam — ut Romani senserunt — salus felicitasque imperii dona deorum sunt, proinde, qui eos proicit, proditor patriae, hostis publicus censendus est, contra quem res publica semper gravissime animadvertere debet. En haec est illa radix altissima persecutionum Christianorum! Summae protestati in his viri litteris eruditi, scriptores, poëtae, dein sacerdotes, vates, augures, haruspices, qui tantum e cultu deorum vixerunt, adiumento fuerunt. De multitidine⁵ obscuriore⁵ ne verbum quidem faciamus!

Christianos ad internectionem delere non fuit semper et iam ab initio consilium imperatorum Romanorum. Ante Decium enim modo in singulos et quidem indicatos⁶ Christianos consuluerunt,⁷ quod ex epistula quadam Traiani ad Plinium Juniorem missa elucet: *Conquirendi⁸ non sunt: si deferantur et arguantur, puniendi sunt.* Decius autem Christianos facilius cognoscendi causa iam ab omnibus petivit, ut deis sacrificium facerent. Sed etiam usque ad hoc tempus sicut et postea quounque tempore servus quidam infidus aut vicinus malevolus aut competitor⁹ invidus Christianos indicare potuit, quo facto non solum poenas iniustas potuit petere a Christiano, sed etiam «officia prae-clara» praestitit imperio Romano. Ab initio ad Constantini Magni edictum Mediolanense Christiani sine ulla intermissione non vexabantur. Fuerunt v. g. imperatores religionem omnem minime curantes, fuerunt, qui singulas religiones in unum conferre conarentur (*syncretismus*) etc. (Ad proximum numerum.)

⁵ alacsonyabb néptömeg ⁶ feljelent ⁷ eljár valaki ellen ⁸ felkutat ⁹ versenytárs.



De Claudio Rutilio Namatiano.

Saeculo p. Chr. n. V. rebus Romanis funditus labefactatis,¹ cum litterae Latinae paene extinctae essent,² tamen aliquot ingenia ex favillis et cineribus emicuerunt. Quorum ex operibus, quia rara ea vobis legendi occasio obvenit, partes lectu dignissimas delibabimus.³ In his primum Cl. Rutilium Namatianum proponimus. Cl. Rutilius Namatianus, natione Gallus vixit ineunte saeculo quinto, functus est Romae amplissimis honoribus. Cum anno 416. Goths occidentales Ataulfo duce Galliam pervastavissent, Ru-

tilius in patriam redux iter suum duobus libris, quorum alter maxima ex parte manus est,⁴ eximia arte descriptsit. Cum urbi valedicens Romae laudes, monumenta et resurrecturam maiestatem pangit,⁵ suavissimos in legentium animis excitat motus:

Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,
Inter sidereos Roma recepta polos,⁶

Exaudi, nutrix hominum genetrixque deorum
(Non procul a caelo per tua tempora sumus):⁷

Te canimus semperque, sinent dum fata, canemus
Hospes nemo potest immemor esse tui.

Obruerint citius scelerata obliavia solem,⁸
Quam tuus ex nostro corde recedat honos.

Nam solis radiis aequalia munera tendis,⁹
Qua circumfusus fluctuat oceanus.¹⁰

Volvitur ipse tibi, qui continet omnia, Phoebus¹¹
Eque tuis ortos in tua condit equos.¹²

Te non flammigeris Libye¹³ tardavit harenis,
Non armata suo repulit Ursa gelu:¹⁴

Quantum vitalis natura tetendit in axes,¹⁵
Tantum virtuti pervia terra tuae.¹⁶

Fecisti patriam diversis gentibus unam:
Profuit invitis te dominante capi.

Dumque offers victis propriae consortia iuris,¹⁷
Urbem fecisti, quod prius orbis erat.

Auctores generis Venerem Martemque fatemur,
Aeneadum matrem Romulidumque patrem:

Mitigat armatas victrix clementia vires,¹⁸
Convenit in mores¹⁹ numen utrumque tuos

Hinc tibi certandi bona²⁰ parcendique voluptas
Quos timuit superat, quos superavit amat.

Te, dea, te celebrat Romanus ubique recessus²¹
Pacificoque gerit libera colla iugo.²²

Omnia perpetuo quae servant sidera motu,²³
Nullum viderunt pulchrius imperium.

Quid simile Assyrii connectere configit armis?
Medi finitimos condomuere suos.

Magni Parthorum reges Macetumque²⁴ tyranni
Mutua²⁵ per varias iura dedere vices.²⁶

¹ megrendül ² megsemmisül ³ vmit ymiből elvesz, szedeget, kiszemel ⁴ csonka ⁵ megénékel ⁶ a csillagos mennyekbe befogadtott ⁷ t. i. Róma templomára égig nyúlnak ⁸ előbb merülhet (nálam) feledésbe (az éltető) nap ⁹ a te jótéteményeid oly messze hatoljnak, mint a nap sugarai ¹⁰ (a földet) körülözönlő óceán ringatja habjait ¹¹ az egész földet bezáró nap a te számodra forog ¹² a te birodalmadban elindult lovait a te birodalmadban hajtja nyugovóra ¹³ Libye = Afrika ¹⁴ a jéggel borított góncölszekér (észak) ¹⁵ amennyire az életlehelő természet a mérsékelt övekig terjed ¹⁶ a te energiád akkora földet tud bezárni ¹⁷ míg a legyőzöttékkel megosztod jogaidat ¹⁸ a fölökerekedő nagylelkűség, jószívűség ¹⁹ mores = jellem, természet ²⁰ certandi bona = a harciasság előnyei ²¹ recessus = szöglet, sarok ²² mivel szelid igát visel, nyakát szabadon hordozza ²³ az örökké mozgó csillagok ²⁴ macedonai ²⁵ mutua iura dare = egymásnak parancsolattal ²⁶ per varias vices = egymást felváltva (perzsák, macedonok, parthusok).

Nec tibi nascenti²⁷ plures animaeque manusque,²⁸
Sed plus consilii iudicique fuit.
Iustis bellorum causis nec pace superba
Nobilis ad summas gloria venit opes.²⁹
Quod regnas minus est quam quod regnare
mereris.³⁰
Excedis factis grandia fata tuis.³¹
Percensere labor densis decora alta trophyeis,³²
Ut si quis stellas pernumerare velit;
Confunduntque vagos delubra micantia visus:³³
Ipsos crediderim sic habitare deos.
Quid loquar aërio pendentes fornice rivos,³⁴
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?³⁵
Hos potius dicas crevisse in sidera montes,³⁶
Tale giganteum Graecia laudet opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris;³⁷
Consumunt totos celsa lavacra³⁸ lacus.
Frigidus aestivas hinc temperat halitus auras,³⁹
Innocuamque levat purior unda sitim.⁴⁰
Nec minus et propriis celebrantur roscida venis⁴¹
Totaque nativo⁴² moenia fonte sonant.
Quid loquar inclusas subter laquearia⁴³ silvas,
Vernula⁴⁴ quae vario carmine laudat avis?
Vere tuo nunquam mulceri desinit annus;⁴⁵
Deliciasque tuas victa tuetur hiems.⁴⁶
Erige⁴⁷ crinales lauros seniumque⁴⁸ sacrazi
Verticis in virides, Roma, refinge comas.
Aurea turrigeru radient diademata cono,⁴⁹
Perpetuosque ignes aureus umbo⁵⁰ vomat.
Abscondat tristem deleta iniuria casum;⁵¹
Contemptus solidet vulnera clausa dolor.⁵²
Adversis⁵³ solempne⁵⁴ tuis sperare secunda:
Exemplo caeli ditia damna subis.⁵⁵
Astrorum flammæ renovant occasibus ortus;
Lunam finiri cernis, ut incipiat.⁵⁶
Victoris Brenni⁵⁷ non distulit Allia poenam;
Samniss⁵⁸ servitio foedera saeva luit;
Post multas Pyrrhum clades superata fugasti;
Flevit successus Hannibal ipse suos:
Quae mergi nequeunt, nisu maiore resurgunt
Exiliuntque imis altius acta vadis;⁵⁹
Utque novas vires fax inclinata resumit,
Clarior ex humili sorte superna petis.⁶⁰
Porridge victuras Romana in saecula leges⁶¹
Solaque fatales non vereare colos,⁶²
Quamvis sedecies denis et mille peractis
Annus praeterea iam tibi nonus eat.⁶³
Quae restant,⁶⁴ nullis obnoxia⁶⁵ tempora metis,
Dum stabunt terrae, dum polus astra feret!
Illud te reparat, quod cetera regna resolvit:
Ordo nascendi est,⁶⁶ crescere posse malis.
Ergo age, sacrilegæ tandem cadat hostia gentis:⁶⁷
Submittant trepidi perfida colla Getae.
Ditia pacatae dent vectigalia terrae:
Impleat augustos barbara praeda sinus.⁶⁸
Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet,
Altricemque suam fertilis orbis alat.
Quin et fecundas tibi conferat Africa messes,
Sole suo dives, sed magis imbre tuo.⁶⁹
Interea et Latiis consurgent horrea sulcis,
Pinguaque Hesperio nectare⁷⁰ prela fluant.

Ipse triumphali redimitus arundine Thybris
Romuleis famulas⁷¹ usibus aptet⁷² aquas;
Atque opulenta tibi placidis commercia ripis
Devehat hinc ruris, subvehat inde maris.

²⁷ *nascenti* = keletkezésedkor ²⁸ több embered és
csapatod ²⁹ világírú dicsőséged elérte a legmagasabb
csúcson ³⁰ *minus est* = kisebb jelentőségű, mint az,
hogy; *regnare meritis* = érdemes vagy az uralkodásra
³¹ többet értél el tetteid, mint amennyit a sors meg-
jövendölt neked ³² *labor* = nehéz munka; *percensere* =
elősorolni; *densis trophaeis* = a számtalan diadalban;
decora alta = (nyert) nagyszerű dicső tetteidet ³³ *mi-
cantia* = ragyogó, káprázatos; *vagos visus* = imboldog
tekintetedet ³⁴ *aërio fornice* = a magas oszlopokon
és bolthatjásokon vezetett csővekben folyodágó pá-
takokat = felső vízvezetékeket ³⁵ amilyen magasban
még Iris (a szívárvány) sem lebeg az esőt ontó fel-
hőkben ³⁶ ezeket a vízvezetékeket (*rivos*) égbenyúló
hegyeknek nézhetnéd ³⁷ *intercepta* = elfoglott, elvezet-
tet; *conduntur muris* = a város falai rejthet magukban
³⁸ fürdők ³⁹ *frigidus halitus* = (a vizek) hűvös párol-
gása ⁴⁰ *innocuam sitim* = a természetes, egészséges
szomjúságot ⁴¹ saját ereivel (forrásáival) nedvesítí
a falakat ⁴² *nativo* = természetes ⁴³ mennyezetes
tetők (az oszlopesarnokos udvarokban) ⁴⁴ ott szüle-
tett, házi, családi ⁴⁵ a te tavaszodtól az egész év
enyhe ⁴⁶ *delicias* = a te kedves fáidat és növényeidet;
victa tuerit hiems = a falakkal, a nap sugarait össze-
gyűjtő tükrökkel tavasszá enyhített (*victa*) téli melege
oltalmazza ⁴⁷ babérrel övezett hajfürts fejedet emeld
fel ⁴⁸ *seniumque sacrati verlicis* = fejed össz förtjeit
fiatalitsd meg ⁴⁹ fejed arany koronájának tornyos
sisakja ragyogjon ⁵⁰ *aureus umbo* = pajzsd arany
gombja ⁵¹ *tristis casus*: az a csapás, melyet a gótok
Róma feldúlásával okoztak; *deleta iniuria*: a szeren-
csatlenség magába folytásával felettesse a szomorú
csapást ⁵² *solidet vulnera clausa* = hegessé be a
sebeket ⁵³ *adversis tuis* = szerencsétlenségedben;
⁵⁴ megszoktad ⁵⁵ példák (mutatják), hogy károd el-
színvedéséből gazdagabb erők fakadnak ⁵⁶ hogy meg-
újuljon ⁵⁷ Brennus a rómaiakat megverte Alliánál,
de a megtorlás nem sokáig késsett (*distulit*), mert öt
viszont Camillus győzte le ⁵⁸ a samnumiak a ró-
maiakat a Furcae Caudinae-ben igán át hajtották, de
Papirius Curso nem sokára megverte és rabszolgákká
tette őket ⁵⁹ a fenékg leszorított tárgyak annál ma-
gasabbra szökellnek ⁶⁰ ha alacsony sorból törsz a
magasba, nagyobb lesz a híred ⁶¹ örökléti törvénye-
det terjeszd ki = uralkodj a népeken örökké ⁶² egye-
dül te ne félj a párkák orsójától ⁶³ habár 1169 év
telt el (a város alapítása óta 416-ig, amikor a költő a
költieményét írja) ⁶⁴ *quae restant* = az ezután követ-
kező idők ⁶⁵ *nullis obnoxia (sunt)* semmiféle végnek
(*metis*) nincsenek alárendelve ⁶⁶ *ordo renascendi*: az
ujraszületés módja ⁶⁷ sc. *Gothorum* ⁶⁸ *sinus* = kebel
⁶⁹ *imbre tuo*: mert az északi szél az Italiában össze-
gyült felhőket Afrikába viszi ⁷⁰ *Hesperio nectare* =
italiában bor ⁷¹ *famulas* = szolgálatkész ⁷² *usibus* =
hasznára; *aptet* = alkalmazza, állítás be.

Suum cuique decus posteritas rependit.

*

*Spreta exolescunt; si irascare, agnita vi-
dentur.*

Oppidum sepultum. (1)

Scripsit: Victor Morvay dr.
In Latinum convertit: Valentinus Fehér.

1. Decius Pannionius Pompeios proficiscitur.

Anno post Romam conditam octingentesimo trigesimo Aquinci, quod oppidum iuxta flumen Danuvium constitutum erat,¹ M. Aurelius Pannionius, vir ditissimus, decurionatum gerebat. Ut decurio, erat ordine senatorio atque egregium in oppidano senatu locum obtinebat. Pompeios natus adolescens nomen² militiae² dederat² et mox adeo effulserat³ audaciā, ut ad altiorem gradum⁴ ascenderet. Tandem ab imperatore Vespasiano Aquincensis decurio nominatus erat.⁵

Aurelius habebat filium adolescentem septendecim annorum, nomine Decium, qui Sopianis, in oppido Pannoniae, natus erat. Ut erat Pannonicus, nondum maiorem urbem Romanam viderat.

Ergo pater eum, ut res⁶ humanas⁶ melius⁶ cognosceret,⁶ una cum Glauco paedagogo Pompeios ad consanguineos mittere constituit.

Igitur Nonis Octobribus Decius et Glaucus et septem servi redas⁷ ascendunt. Aurelius senex filium osculatus:

— Ne obliviscaris — inquit — nomine meo salutem dicere Liviae, meae sorori tuoque avunculo,⁸ Diomedi. Tu vero, Glause, excuba⁹ pro meo filio et vos, servi, meo filio oboedite. Post decem menses Pompeios ibo, ut te, Deci, reducam. Valete!

Decius patrem valere aurigasque Pannionis redas flectere iubet.

Leves¹⁰ redae a mannis¹¹ validis ducebantur. Ad Decii redam, quae praeibat, duo manni pulcherrimi iuncti tolutim¹² currentes¹² Aquinco exeunt. Servi erant in duabus aliis redis itemque cibaria, sarcinae,¹³ litterae, quas pater Aurelius ad cognatos scripserat.

In via publica, quae per Sopianas ferebat, procedebatur. Ideo hoc iter susceptum erat, quod Decius paucos dies in oppido natali morari volebat.

Paulatim praeterierant Camponam,¹⁴ Lussonium,¹⁵ Lugionem,¹⁶ Altinum¹⁷ aliosque vicos Pannonicos, in quibus plerumque per-

noctabant;¹⁸ nam Romani interdiu¹⁹ iter faciebant.

Sopianas sub vesperum pervenient. Decius complures dies ibi morans visit familiares²⁰ et domum, in qua pueriles annos egerat.

Tribus post diebus iter ingressi Scisciam²¹ pervenient. Ibi via Aquincensis attingebat magnam illam viam publicam, qua vel in longinquissimas imperii Romani partes facile perveniri poterat.

Decius eiusque comites post paucorum dierum quietem ad occidentem se converterunt, ut ante frigidorem tempestatem²² Aquileiam pervenirent.

Haec via etiam Aquincensi celebratio²³ erat. Saepe occurserunt²⁴ cohortibus vici-²⁵ commeantibus, crebris cursibus²⁶ publicis,²⁶ peditibus, vectoribus,²⁷ plaustris,²⁸ quibus texta,²⁹ condimenta,³⁰ poma, aera, bestiae, servi e remotissimis provinciis vehabantur.

Decius primum Aquileiam vidi maius oppidum Italicum. Id prope mare situm erat atque incolae mercatura clarebant.³¹ Paucis post diebus Aquileia cesserunt. In Aemilia via Veronam, inde Mutinam ierunt. Bononiae longiori quieti se dant. Inde ventum est Florentiam. Paulum ibi morati iter continuant. Arretii viserunt notabilissimam armorum³² officinam,³² in quibus gladii, clipei, loricae cudebantur.³³ In figlinam³⁴ ingressi viderunt, quomodo amphorae Tuscanicae patinaeque³⁵ clarissimae fierent ac minarentur,³⁶ quomodo nigrae imagines inscriberentur.

Inter Arretium et Clusium lacum Trasimenum victoria Hannibal is clarissimum praetervecti per Volsinios, oppidum opulentissimum et per Sutrium tandem a. d. XII. Kal. Ian. Roman pervenient.

Decius admiratione tanti splendoris et luxus vix satiari³⁷ potuit. Admiratus est domos

¹ épül ² beáll katonának ³ kitűnik ⁴ rang ⁵ ki-
nevez ⁶ világot lát ⁷ utazó kocsi ⁸ anyai nagybácsi
⁹ vigyáz ¹⁰ könnyű ¹¹ gall ló ¹² ügetve ¹² poggyász
¹⁴ Tétény ¹⁵ Dunakömlőd ¹⁶ Dunaszekcső ¹⁷ Mohács
¹⁸ éjjelre meghál ¹⁹ napközben ²⁰ ismerős ²¹ Sziszék
²² időjárás ²³ élénk ²⁴ találkozik ²⁵ helyiségröl-hely-
ségre ²⁶ pósta ²⁷ kocsin utazó ²⁸ társzekér ²⁹ szövet
³⁰ fűszer ³¹ híres ³² fegyvergyár ³³ kovácsol ³⁴ edény-
gyártó-műhely ³⁵ íál ³⁶ pirosra fest ³⁷ betelik.



marmoreas, domum Caesarum in Palatino monte aureolam,³⁸ aedificia decem tabulatorum,³⁹ pulcherrimum forum Romanum, veterrima in Capitolio templta, arcus⁴⁰ triumphales,⁴¹ mille statuas, theatra ingentissima, imperatorem Titum cum splendido comitatu, senatores toga⁴¹ praetexta⁴¹ amictos aliasque res innumerabiles.

Ceterum Romae discessit⁴² a Glauco, qui Romae natus ibi remansit, ut alios pueros doceret. Decius devertit⁴³ ad patruum, Caium Pannonium, cuius cum duobus filiis, Marco et Lucio saepe urbem pulcherrimam circumiit.

Tribus mensibus post abire constituit. Nam M. Arrius Diomedes iam saepius institerat,⁴⁴ ut ad se veniret.

Decius pridie Id. Mart. die sereno, postquam patruum, Lucium, Marcum valere iussit, cum servis redam ascendit et profectus est.

Primum Appia via iter faciebant. Per Minturnas pervenient Sinuressam, quod oppidum vino Massico et Falerno clarissimum erat. Inde veniunt Neapolim, ubi cognovit Pansam, virum Pompeis natum, qui item Pompeios iturus erat.

Decius et Pansa per Herculaneum Pompeios iter dirigunt.

2. Pompeios pervenitur.

Plerumque secundum⁴⁵ litus iter faciebant. Animus Decii maxime Vesuvio monte occupabatur.⁴⁶ In ipso monte usque ad verticem agri feraces et densi saltus, circum montem pomaria⁴⁷ et vineae⁴⁸ erant. Solus vertex erat confractus⁴⁹ et sterilis.

— Mons Vesuvius — ait Decius — similis est galero,⁵⁰ cuius apex⁵¹ lacer⁵² est.

— Recte putas — inquit Pansa; — nigra in vertice saxa iacent, tamquam olim igni cocta.⁵³ O, mons iste est maxime effrenatus!⁵⁴ Qui ad verticem enisi⁵⁵ sunt, narrant in eo esse foveam⁵⁶ profundam, ex qua murmur interdum audiatur. Ante sedecim fere annos magnus fuit terrae motus, qui hic quidem non est insolitus,⁵⁷ tum tamen Herculaneum et Pompei oppida paene solo aquata sunt.

Ut vehebantur, Pansa exclamat:

— Ecce, nunc iam videri potest oppidum!

Profecto e loco editiore, ubi curru vehebantur, conspiquunt oppidum haud procul

in collium radicibus situm, prope litus iuxta flumen Sarnum. Circa erant montes virides, una parte caeruleum mare patebat. Oppidum longo ovatoque⁵⁸ muro circumdate erat.

— Ibi est amphitheatum — ait Pansa, — hic⁵⁹ viciniae⁵⁹ sepulcretum,⁶⁰ illic villa Diomedis.

Mox ad sepulcra pervenient. Utrumque pulchra monumenta⁶¹ marmorea stabant: inter ea erat villa Diomedis cenaculata.⁶² Redae sustinentur.⁶³

— Salve, mi fili — inquit Diomedes e villa egressus et Decium amplectens.

— Salve — aiunt adolescentes, qui cum Diomede exierant et in Decii collum⁶⁴ invadunt.⁶⁴

— Salvete — respondet Decius.

— Ego sum Publius — inquit adolescens maior.

— Et ego Cornelius.

— Hercole gaudeo — infit Diomedes, — quod te mihi tandem aliquando videre⁶⁵ contingit.⁶⁵ Sed intrate! te quoque, Pansa, mi amice, benigne excipio. Servi, curate redas sarcinasque Decii Pannonii. Gratia dis, quod venisti, carissime frater.

Ante Ostium Livia maiore etiam⁶⁶ comitate eos opperiebatur. Quia sol iam inclinabatur, Decius ductu consobrinorum⁶⁷ in hospitium,⁶⁸ inde in balneum se contulit, quo prius accumbere⁶⁹ posset.

38 aranyos 39 emelet 40 diadaliv 41 bíbortóga
42 elválik 43 megszáll 44 sürgöt 45 mentén 46 leköt
47 gyümölcsös 48 szőlökert 49 töredézett 50 süveg
51 csúcs 52 rongyos 53 égett 54 rakoncátlan 55 feljut
56 gödör 57 ritka 58 tojásalakú 59 itt a közelben
60 temető 61 síremlék 62 emeletes 63 megáll
64 nyakába borul 65 láthat 66 még 67 unokaöccs
68 vendégszoba 69 ebédhez ül.



Locosa.

Grassator¹ ad viatorem: Cedo mihi coronas viginti aut vitam tuam! Viator: En accipe decem coronas! Viden me prae pavore iam semimortuum² esse?

¹ útonálló ² félholt.

Vir quidam Londinensis primarius³ duos
habuit famulos. Quorum unum ad arma-
rium librorum amoliendum⁴ ex culina ar-
cessiturus cum vociferaretur, quisnam ibi
esset, famulus: «Iacobus» inquit. «Quidnam
rerum ibi agis?» «Nihil» inquit Iacobus. Tunc
herus: «Heus tu, Guilielme, esne etiam tu
in culina?» «Sum» inquit Guilielmus. «Quid-
nam ibi agis?» «Iacobo» inquit «operam
praebeo.»

Senex quidam insolenter moratus in fundo praedii tabulam statuit, in qua haec inscripserat: «Hunc agrum ei datus sum, qui sua sorte contentus est.» Mox venit petitor. «Esne ergo tua sorte contentus?» «Ita vero.» «Dic, sodes, cur ergo meum agrum habere vis?» Petitor illico ex conspectu senis facessivit.⁵

— Duos familiares machinam ingentem considerantes fabricae moderator sic effatur: «Hac machina centum operarii compensantur.»⁶ «Melius se res haberet,» inquit unus ex familiaribus, si ea centum *emptores* compensarentur!»

Carolus Ács.

³ előkelő ⁴ elmozdít ⁵ elillan ⁶ pótol.

AENIGMATA.

1	R	2	A	SUN	3	4	L	SUN	5	6	A	7
R	SUN	T	SUN	8	SUN	P	SUN	9	SUN	N	SUN	U
10	11	SUN	12		P		L		SUN	13		
SUN	14	15	SUN	R	SUN	Y	SUN	E	SUN	16	O	SUN
17	A		SUN	18		R			SUN	19	E	20
21	R	SUN	22	I	SUN		SUN	23	24	SUN	25	I
26		L		I	27	SUN	28		U		U	
SUN	U	SUN	L	SUN	29	I		SUN		SUN	L	SUN
30		31	SUN	32	E	SUN	33	34	SUN	35		X
SUN	SUN	E	SUN	O	SUN	36	SUN	T	SUN	I	SUN	SUN
37	38		A	SUN	39	A	40	SUN	41	A	42	43
44	S		SUN	45	R		O	46	SUN	47	E	
X	SUN	48		S	SUN	S	SUN	49	R		SUN	T

Series directae: 1. Platea. 3. Pars corporis intestina. 5. Sapiens Graecus, etiam Prieneus vocitatus. 10. Coniunctio. 12. Mater erat Phrix et Helles. 13. Abbreviatio pro: Pont. Max. 14. Interiectio. 16. «Quae bos ex homine est, ex bove facta dea.» 17. Sponsor. 18. Venenum. 19. Coniunctio. 21. ...is = nuntia Iunonis. 22. Coniunctio. 23. Locum mutat. 25. Coniunctio. 26. Una

erat Gratiarum. 28. Mons Asiae. 29. Iter, semita. 30. Ad aures fertur. 32. Coni. neg. 33. Pron. pers. in acc. 35. Quo vocabulo sonus plagae, alapae, colaphi etc. exprimitur. 37. Una erat Parcarum. 39. Camenis est grata. 41. Incola stagni. 44. Populus Germaniae. 45. Stella, nautis infesta. 47. Negotium, opera. 48 Artificium, scientia. 49. «... furor brevis est.»

Series libratae: 1. Altare, focus. 2. Coniunctio. 4. Oppidum Epiri est. 6. Praepositio. 7. «Cogito, ergo ...» 8. Pop. Germaniae Belgicae. 9. Oppidum Gall. Lugd. 13. Ancilla Punica. 11. Arguo. 15. Abbreviatio pro «sesertius.» 17. = 29. dir. 20. = Pluto. 22. Condimentum ciborum est. 24. Flammis imponitur. 27. Salutandi causa dicitur. 28. Interiectio pro «tatae!» 31. Quae munera Calendis Ianuariis dantur. 32. Oppidum Aegypti. 34. Coniunctio. 35. Mitra. 36. Oppidum Aegypti. 37. Mater est siderum. 38. Vultus, frons, facies. 39. Abbreviatio pro «Pop. Rom.» 39. = X. O. 42. = 32. dir. 43. Coniunctio. 45. = 38. libr. 46. Coniunctio.

Solutiones aenigmatum numeri X.
anni XVI

I. Leonidas. (Delus, Elea, Allia, Lerna, Ossa, Naxos, Ida, Sardes). — II. Series directae: 1. Tenedos, 6. Utī, 7. Lex, 9. Cea, 11. En, 12. Ob, 13. Tot, 15. Osi, 16. Eas, 18. Marcius. — Series libratae: 1. Toletum, 2. Nux, 3. Et, 4. Dic, 5. Scabies, 8. Eno, 10. Eos, 14. Ter, 15. Osi, 17. Ac. — III. Acetum ex vino. — IV. Versus Propertii: Haut ulla portabis opes Acherontis ad undas: Nudus ad infernas, stulte, vehere rates. (Anchises, Cures, Alcides, Nilus, Aeacides, Hecate, Pluton, Cassandra, Feretrius, Bellona, Portunus, testudo, Volcens, Helena).

Epistolia Officialia.

Ad discipulos Iuventutem legentes: Multi vestrū anno priore socii diligentes in conscribenda ephemēride nobis fuistis et nunc quoque speramus fore, ut rei optimae maximam curam habituri sitis. Ad studia autem vestra magis etiam incitanda laboris nostri socios, qui hoc scholae anno opusculis pulcherrimis optimisque IUVENTUTEM ditaverint, praemio aliquo afficerē statuimus. Quae opera quaelibet esse possunt, modo saepemittantur et bona sunt! Item praemio afficiuntur socii, qui diligentiam in aenigmatis dissolvendis adhibebunt.

Moderator ephemeridis EUGENIUS FRAY DR.
Budapest, I., Verpeléti-út 22.,
ad quem epistulae et manuscripta mittantur.
Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-
scholarium Catholicorum. — A Katholikus
Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)